371

ELIZABETHEIS.

Siue

DE PACATISSIMO ET *FLORENTISSIMO ANGLIÆ* STATV, SVB FÆLICISSIMO AVGVSTISSIMÆ REGINÆ ELIZABETAE IMPERIO,

Liber secundus.

In quo, præter cætera, Hiſpanicæ claſsis profligatio, Papiſticarúmque molitionum & conſiliorum hoſtilium mira ſubuerſio, bona fide explicantur.

Chr: Oclando, Authore.

Prou. 21. 30.

Non eſt concilium aduerſus Dominum.

Wh. Kennett.

LONDINI,
EX OFFICINA CHALCOGRAPHICA THOMÆ ORWINI.
1589.

2

371

ELIZABETHEIS.

Siue

DE PACATISSIMO ET *FLORENTISSIMO ANGLIÆ* STATV, SVB FÆLICISSIMO AVGVSTISSIMÆ REGINÆ ELIZABETAE IMPERIO,

Liber ſecundus.

In quo, præter cætera, Hiſpanicæ claſsis profligatio, Papiſticarúmque *molitionum & conſiliorum hoſtilium mira* ſubuerſio, bona fide explicantur.

Chr: Oclando, Authore.

Prou. 21. 30.

Non eſt concilium aduerſus Dominum.

LONDINI,
EX OFFICINA CHALCOGRAPHICA THOMÆ ORWINI.
1589.

Cambridge University Library
On deposit from
Peterborough Cathedral

AMPLISSIMIS, ILLVSTRISSIMIS, OMNIQVE VIRTVTVM GENERE PRÆSTANTISSImis Dynastis, inclytissimis Regni Anglicani Syndicis, & Sereniſſimæ Principis Elizabetæ à ſanctioribus Conſilijs: Dominis ſuis ſumma obſeruantia colendis,

Εὐσεβείαν.

SAluete Herôes, cana grauitate verendi,
In queis verus honos, gloria vera nitet.
Est Regina, velut Domus inclyta, & Anglia tota:
Vos estis patriæ fulcra, domúsque sacræ.
Fulcrorum decus est auro domus alta micante,
Auro virtutes iungit at Angla suo.
Augustæ cecini pacem almam Principis olim:
Diuæ victricis nunc fera bella cano,
Pacis amans, solióque sedens quæ fœmina gessit,
Fœmina magnanimi fregit vt arma viri.
Totius annales oculis percurrite mundi,
Non habet in terris Elisabeta parem.
Commissa est vobis nostræ tutela Thaliæ,
Herôes; legite hunc fronte fauente librum.

V. Dignitat. addictiss.

Christophorus Oclandus.

Thomas Newtonus, Cestreshyrius.

FVlmine Salmoneus, claua Tyrinthius, armis
Dardanides, Pollux cœstibus, axe Pelops,
Hippomenes cursu, gladio Veianius, herbis
Phillirides, Linceus lumine, Castor equo,
Ismenias fidibus, pictura Zeuxis, Opheltes
Velis, nauigio Tiphis, aqua Herminius,
Sculptura Phidias, statua Polycletus, Arachne
Textura, pictis curribus Automedon,
Venatu Hippolytus, lituo Misenus, Ilerdes
Missilibus telis, celtéque Praxiteles,
Non tantum præstant, quantum tu carmine, per quod
Scimus Hianthæum te coluisse chorum.
Ausspicijs lætis inijsti, perge Poeta,
Auspicio vt læto perficiatur opus.
Dignus es æternùm solus canere Elisabetam,
Dignáque Diua tuo est Elisabeta stylo.

1589.

Tho: Newton.



SECVNDA PARS ELIZABETHÆ REGINÆ ANGLIÆ.

INuidet hanc fauſtam pacem Papa impius Anglis,
Inuidet (Elizabetha) tibi diademate cinctum
Sacratum caput, & veſtrum regalia iura
In populum, vitæ tibi (proh ſcelus) inuidet vſum
O princeps, gentemq; tuam trux deuouet orco.
Nemo adeo ex cunctis mortalibus vndiq; felix
Traducens fragilem ſolis ſub lampade vitam,
Quin morbum patitur, triſteſq; aliquando dolores,
Aut mentem ſentit variis affectibus ægram.
Nil horum vt fuerit, radios virtutis iniquis
Fert oculis fauſtas res aſpiciendo gemiſcens
Inuidus, Alectûs frater vel Erynnidos atræ.
Inuidiæ Dominus vibrantia ſpicula Chriſtus
Non euitauit, terris dum vixit in iſtis.
Quo magis excelſus, quo quis præclarior, aut quo
Virtuti accedens propius pietatis amicus,
Hoc magis inuidiæ merdaci obnoxius ori eſt,
Mortales morſu quæ dilacerare rapaci
Aſſolet innocuos, ſua ſanguinolenta propinans

Inuiduæ vis in maximos orbis terrarum principes.

»
»
»
»
»
»
»
»
»
»

Viscera, ni bonus huic dentes confringat Jôua.
2.Reg.16. *Dauidem sanctum carpebat lingua dolosa,*
Semeis hunc Regem potuit proscindere multis
Opprobrijs, audiuit enim scelerosus, adulter,
Atq; homicida malus, quid non his durius ille
Audijt inuitus rex, cuius semine Christum
Tempore præfixo decreuerat esse creandum,
Et quem ter magnum sibi charum numen habebat.
Absolom 2.Reg.18. *Filius huic regnum Dauidi pessima proles*
Prærepturus erat, sacro vitamq; parenti
Perfidus, ingratus, per fraudem auferre paratus.
Sed Deus hostilis conaminis obstitit auso,
Cum socijs pœnas dedit & scelerata propago.
Tu nec ab insidijs tuta (Elizabetha) malorum
(Vt par principibus) securè transigis annos.
Proditor hinc sæuus vestrum caput impetit, astu
Te vel vt incautam glomeratis opprimat ense
Agminibus socijs, sed talis vipera ciuis
Commeruit dici, qualis Parus ille scelestus
Furfure Romano nutritus, lacte venenum
Immistum prudens impuris faucibus hausit.
Externis hic dum degit peregrinus in oris,
Et videt effrontem peccata remittere papam,
Credens esse Deum, vel quod diuina potestas,
Numen & esset ei (tanta ignorantia veri est)
Reges vt cupiant vltro parere iubenti,

Reginam

Reginam noſtram hæreticam appellarier audit.
Romani Albionem maledicto preſulis eſſe
Subiectam, à Papa Domino Britannica regna
Donari, vt prædam, primo rapientibus ipſam.
Concipit horrendum ſacras cum ſtaret ad aras Parus, alias vpharry proditor.
Mente nephas, vt ſit violenti funeris author
(Elizabetha) tui, caput in diſcrimina trudens
Et regni corpus ſimili peritura ruina
Hoc vult, hac de cæde noua ſibi ſomnia fingit.
Seq; putat vinum ſcanſurum cælica regna.
Preſbitero recitat tranſactæ crimina vitæ,
Auſcultat miſſas ergo ſumit q; ſynaxim,
Se mundum inmundus totus putat, omnia verſans.
Longa mora eſt omnis, dum ſentit carbaſus auras,
Dum patriæ rediens tutiſſima littora calcat.
Ingreditur primo nouus hoſpes principis aulam,
Cui toga demiſſa ad talos, cui byſſima veſtis
Tota fuit, magno fulgebant cetera faſtu,
Grandia multa loquens de Regibus atq; tetrarchis
Vltro ſe ſocium Satrapis ingeſſit, & arte
Hac tandem coram præclara principe doctor
Siſtitur iſte Parus, qui blande plurima fando,
Quæ Romæ longe hinc papæ in ditione geruntur,
Qui mores hominum, vel quæ regionibus vrbes
Diuerſis pulchræ, florent quibus arcibus alpes
Aereæ, qua flat regione ſalubrior aura,
Gratiam init non vulgarem. Hinc fiducia creuit

Patrandi ſceleris, tumido quod corde fouebat.
Principis inceſſum ſequitur modo plus ſatis audax
Inſtigante malum ad facinus cacodæmone diro
Ambabus manibus, modo corde, animoq; tremiſcit,
Ceû Deus ante oculos, pœnarum exactor & eius
Angelus, omnigenum ſcelerum vindictaq; triſtis.
Cum ſubito coram Regina procidit amens
Et pauitans loquitur. Veniam da (quæſo) petenti
O precor ignoſcas precor ô nitiſſima princeps.
Attonita eſt nouitate rei Regina, quid, inquit:
Pone metum, mihi mox ediſſere vera roganti.
Tunc tandem ficto tremebundus pectore fatur.
Cogit amor patriæ, virtus, reuerentia veſtri
O Regina potens me inuitum vera fateri.
Papa caput veſtrum, decus ingens nominis odit
Odit & Angligenas qui relligionis amantes
Labe repurgatæ, ſaluberrima dogmata Chriſti
Sunt hodie amplexi: vos omnes lumine caſſos
Expetit, atq; omnes crudeli morte peremptos.
De grege Chriſticolûm vero nec iudicat eſſe.
Ergo te præſes Romanus deſtinat aræ,
Propoſita mercede præampli ponderis auri.
Vt ſit præterea ob cædem magno auctus honore,
Qui tibi mortiferum (princeps) inflixerit ictum,
Liber & a ſpurca peccati labe recedat.
Me voluitq; tui prælargos ſanguinis hauſtus

Sumere,

Sumere, ſic fore me magnum famæq; perennis
Pollicitus, ſuper hæc Romanus epiſcopus inter
Cæleſtes diuos ſeßurum ſede ſuprema.
Ante miſer totus tenebroſa in tartara mittar
Et mihi ſpiranti tellus prius ima dehiſcat,
Mollis flauentem capitis quam vulſero crinem.
Nam tua maieſtas, vultus & amabilis oris,
Regaliſq; decor ſæuos inhibere leones
Aut vrſos poterit, ne ſacros corporis artus
Attingant, veſtemue velint violare ſacratam.
Quod ſcio, ſum faſſus, Princeps ignoſce verenda.
Dixerat, his verbis nullo perculſa timore
Ingenium laudat Regina fidemq; probabat,
(Heû non eſt vlli nebuloni fidere tutum)
Supplicis ingenue faſſi quod corde lateret
Vt de fraude videt nil ſuſpicionis habentem
Proditor iſte audax, adiuncto forte Neuillo
Quodam, in conſilium Reginæ in cæde patranda
Perſtat & hortatus docet inde viamq; modumque,
Tempora, quo pacto telis icta occidãt, apta.
Quamquã animũ dictis firmat, tamẽ occupat horror
Tantorum ſcelerum perculſum pectus ad omnem
Militis accincti cedem, cupidiq; cruoris
Fundendi, qui mos in bellis multus in vſu eſt,
Sed qui promittebat opem, auxiliumq; ſceleſto
Iſti nulla quies altus ſomnuſue Neuillo,

Postabitis cunctis properans commissa recludit
Consilia, ad sacrum mox defert verba senatum,
Protestando Pari quæ sit sententia menti.
Tunc Londinensi captus concluditur arce
Proditor, ingratum ciuem, & qui luce fruatur
Se indignum clamans, vincitur lege iubente,
Ne tam pestiferos homines alat Anglica tellus
Supplicium & merita damnatus morte pependit.
» *Admiranda dei sit sola potentia summi*
» *(Elizabetha) tuum quod sic euaseris hostem,*
»
» *Anglia ter fælix vultu lætare sereno,*
» *Te saluam omnipotens contuso reddidit hoste.*
Proh scelus horrendũ, post spissæ grandinis imbrem,
Clara solet fieri facies persepe sereni
Cæli, ac auricomos radios emittere Phæbus.
Non ita Brutigenûm terris fit. Dum perit vnus
Furcifer ex merito, denos consurgere vidit
Anglia lætifero maceratos corda veneno.
Fama refert prisci lærneam temporis hydram
Decusso herculeis capite vno viribus, illud
Crescere per damnum, geminasq; resumere vires.
Babingtonus cum socijs capite damnati.
Impie cum primis quid Babingtone volebas
Credelesq; tui sibi quid voluere sodales?
Venerat in mentes cur detraxisse coronam
Hæredi regni haud dubię, cur perdere gentem
Anglorum, natale solum, patriamq; laresque?

O fera

O fera monstra hominum silices in corde gerentum,
Æternum infames, maledictæ & vbiq; cohortes.
O patricidarum fex tristis Erynnis ab ore
Impuro proles, densis cooperta tenebris
Proditio noctis gremio, quæ cæca latebas,
& barathro donec curuatis eruit hamis
Temporibus cunctis semper memorabilis heros
Nobilis Hattonus multa virtute politus,
Explorando malum contectum nocte profunda.
Æternum decus, æternumq; meretur honorem,
Vtq; foro statua Hattono ponatur aperto.
Ausi estis Domino dilectam tangere ferro
Impuri, & sacrum caput almæ principis ense?
Cur tales terræ non absorbentur hiatu?
Cur his sol lurem, telluse cibaria donat?
Cum socijs omnes tradantur faucibus orci.
Nulla satis poterit grauis istos plectere pæna,
Hoc Deus effecit, mala coniuratio claram
In lucem subito erumpens vt nota pateret,
Vt daret & pænas, extinctaq; flamma nephandæ
Cædis crudeli Reginam liberet hoste.
Hoc Deus effecit non vlla humana potestas,
Aut vis ingenij, non fortia principis arma.
Anglia tu resipisce gemens maturius oro
Plena fide nam vita placet quæ moribus ornat
Christicolas Christo dignis pietate refulgens

Tardius

Tardius infligens pœnas grauiore flagello
Percutiet populum, si accensa est numinis ira,
Anglia tu resipisce gemens maturius oro
Sacra Dei magni te & semper proteget ala.
Elisabetha tibi (nec mirum) dura videtur
Crux, acrisque nimis, grauiorq; molestia menti
Regali insidias mortis molirier Anglos.
Turba fuit tressis populi fex, turba malignans
Ad scelus hoc diro papæ instigata furore.
Virgo chara Deo heus animum demittere noli,
In melius finita probantur amantibus ipsum
Omnia, clementer quem (&) amat, castigat Iôua.
Vt monitus discat sese emendare, diurna
" *Luce illi monstrante viam, cum venerit atra*
" *Nox, tunc nemo potest operari, sero paratur*
" *Tunc medicina, suæ cum præterit hora salutis.*
" *Dat nouisse deum, recte coluisse tonantem,*
" *Dat timuisse deum nostris afflictio crebra*
" *Hærens corporibus, cum mentem deprimit angor*
" *Sollicitus, vel cum cruciatus corporis ægri*
Sic pungit, plenusque hamis sic sæuit acutis
Somnus vt excussus, teneræ vt carnisq; voluptas
Pulsa, sinat nullam requiem. Tunc confugit vltro
Mœstus homo auxilium quærens ad numinis aras
Psalm. 42. " *Cur me conturbas anima ô mea tristior? inquit*
" *Cur luctu, cura, lachrimis, exulceror? audit*

Fixa

Fixa Deo in ſummo ſit ſpes tibi: laudibus effer,
Imperio cœlos, terras, pelaguſq; prementem.
Hactenus effugiſſe pericla domeſtica magnum
Eliſabetha dei donum eſt, atque eius amoris
Erga te certi ſignum, confidito Princeps
Pectore firmato quia te ſeruabit Iôua
Vt prius, immunem & damno ſuper aſtra locabit.
Tu modo Chriſticolas veros defendere perge,
Quaſque diu cæco Chriſti aduerſarius orbi
Inuexit tenebras (facis hoc ſtudioſa) fugare
Pergito, diuini rectum introducere cultum
Numinis, vt quæ ſit longis erroribus acta
Detorto nauis Papæ ex moderamine clauo,
Antiquum abraſa florens eccleſia labe
Splendorem obtineat, pulſis & vbique tenebris
Lux euangelij ſpargat ſe latius alma,
Per totam Europam, cunctis vbi lætifer ignis
Per papam immiſſus vicis & flamma rogalis
Obſtruxit Chriſti voces reſonantibus ora.
Emicat hinc celebris tua laus virgo Anglica terris »
Longe ſemotis, tua gloria ſpargitur vltra »
Gaugem ac Æthiopes ſolummodo dentibus albos.
Turca tuos libros regalia munera miſſos
Maximus accepit Rex Regum fronte ſerena.
O vtimam Romæ ciſtis qui condit eoſdem
Illorum erueret ſenſus, inſcriptaque verba

Conſolatio ſpiritualis Elizabethę Reginæ.

Papa intelligeret, ſemel inſanire cerebro
Deſineret ſano, fieri ſociuſque miniſtris
Æqualis reliquis gauderet in ordine ſacro.
Heû, heû, mactat oues, teneros interficit agnos
Romanus Caiphas, ſiquis reprehendere faſtum
Audeat, aut doceat quo pacto errauerit effrons,
Seducens populum viridante à tramite recti,
Ignibus infeſtis tenues abſumit in auras
Corpora Papa, cremans teneris cum carnibus oſſa.
Inſuper imperium in Reges exercet vbique
Gentium, & hoc fieri tumido iubet ore ſuperbus,
Illud non fieri, vetitas ex lege per artes,
Per vim, per fraudem cathedræ Papalis adeptus
Sedem, vult etiam terris Deus alter haberi,
Crimina condonans (nummûm mercede recepta)
His licèt impuris, quos non metanæa remordet.
Quod pulchrè inſtructus fœcunda vulpis in arte
Efficere haud potuit, nimirum vt principe regni
Enſe per inſidias mactata ab atrocibus Anglis,
Ipſe queat procul hinc Romæ abſens ſanctus haberi,
Nullius ſceleris tanquam ſibi conſcius eſſet,
Viribus id ſummis manifeſto adnixus agebat.
Arma palàm ſumit, ſocioſque in fœdera iungens
Hiſpanumque, Italumque, & quos Florentia pulchra
Diues opum mittit, telis armauit in Anglam:
Fœderis & ſancti prætexit nomine culpam.

Hęc

Hęc noua cunctarum subitò est inuersio rerum,
Hæc metamorphósis noua; sanctus vt impius, & sit
Impius, vt sanctus, conuerso nomine, dictus.
Fæderis an sancti vult coniuratio dici
Corrupti formam vultus assumere falsò?
Ad profundendum vesano Marte cruorem
Christicolûm, ad stupra, & cædes, incendia, prædas
Per vim abducendas pecorum, vastandaque cuncta,
Quæ fert bellorum sub iniqua sorte voluntas:
Hiccine seruorum seruus? sub numine magno
Bella dei in seruos non talia flagra merentes
Suscipiens, terras & cœlum territat armis.
Personat Hispanus rerum successibus auctus
Præteritos multos bellator vbique per annos,
Crudeli huic bello (fama est) non gloria finem
Impositura suum est, superato aut hoste trophæum.
Extirpanda suo solio radicitùs Angla,
Cum claris Satrapis, populus, cum matribus infans,
Extincti vt pereant ictu mucronis ad vnum.
Hæc placet, Hispanûm placet hæc sententia menti,
Anglica terra nouos vt post hæc bella colonos
Accipiat, solus dominator regnet Iberus,
Qua se sol oriens radijs extendit ad Indos
Æthiopúmue suo mutans ardore colorem
Ornatam nullis herbis exurit arenam,
Occiduum vel qua prædiues America Phæbum

Oceani occultat gremio ſub noctis opacæ
Tempora, longinquos donec currendo reuiſat
Auroræ roſeæ fines, quibus vtraque tellus
Auri ac argenti iactat ſe opulenta metallis.
Magnus Alexander dum concupit omnia regna
Imperio ſubiecta ſuo, rex occidit vrbe
Magnanimus celebri Regum fortiſſimus vnus
Primæuo ex vita hac ætatis flore recedens.
Nec quæ marte domans ſuperabat ſanguine multo,
Sceptra ſuo hæredi moriens de iure reliquit.
Illius imperium diſtractum ceſſit in vſum
Multorum, regnum hoc dux hic ditione premebat,
Illud at incepti fautoribus occupat alter
Militibus: Satrapas pernicibus inuolat alis
Tertius in prædam, quia ſit regnare voluptas
Summa, bonum ſummum, terreſtris gloria ſumma.
Sic quæ regna ſuis ſub duris vnus habebat
Flexa iugis, nutu diuerſis ſingula cedunt
Regibus egregio grecorum ſtemmate natis.
„ *Parta nouem totis annis mauorte feroce*
„ *Temporis exigui momentum diſſipat hora.*
„
„ *Diſcite vos Reges terrarum, gloria mundi*
„ *Quã properãte fugax pede præterit, vt leuis vmbra.*
Non hæc Hiſpanum, non plura exempla coercent,
Vindictæ quem cæcus amor, ſtimulanſque libido
Egit in aduerſum: cunctanti ſæuior addit

Papa animos, testans quod sic seruire tonanti
Sit pietatis opus, si quisquam sumpserit arma,
Si stricto inuisos ense interfecerit Anglos.
Dissentire sacris, matrem haud agnoscere Romam
Brutigenas, ergo hæreticis nulla esset acerba
Pæna satis, grauius sumendum a gente nephanda
Supplicium, extincti per terras nominis omnes.
Fœdere coniunctis placet hæc sententia sacro. Apparatus belli per Hispanos.
Ecce per Europam spacioſam turba perita
Quæritur artificum fabricandis nauibus arte
Egregia: fului merces non defuit auri
Augentiue illis, præstanti dummodo forma
Nauigia ædificent, ingenti mole carinas
Montibus æquatas, cælum pertingere malo
Quæ poterunt altas æquare & puppibus ornos
Centum & terdenas naues Hiſpanica classis 132 naues hostiles.
Exhibet, armatas omnes pars altera quarum
Maior, onusta queat comprendere dolia mille.
Quin gentorum onus & plaustrorum ventre cauato
Altera pars, istis leni libramine paucæ.
Militibus, ducibus, Questoribus atque tribunis Viginti octo millia hominum armatorum in classe Hispanica.
Nautis, & clauos terquentibus integer hosti
Dat numerus sæuo viginti millia & octo
Singulæ habent naues bombardas fusilis æris,
Quinquaginta quas Canones vox barbara signat.
Quæ vis præterea est de nitro nomen habentis

Pulueris, & viuo contuso sulphure misti,
Exceditq; fidem multum, & mirabile dictu.
Non audita prius pugnarum machina talis,
Qualem cum socijs nostro Papa instruit orbe.
Horroris trepidi inflatis plena omnia buccis,
Nauali ratium genus insuperabile bello,
Fęta armis, ducibus claris, Hispanica classis
Nautis, instructo perpulchrè milite fæta.
Maioris formæ & moduli munitur ahenis
Tormentis latere ex omni pulcherrima visu
Turba liburnarum, magnis terroribus hosti
Vt procul in medio Neptunum gurgite sulcans
Esse queat, vectis sint nulla timenda pericla.
Quippe malos abigens genios cacodęmona tristem,
Concinnata ratis cum primo tingitur vndis,
Consecrat orando patrio de more carinas
Mysta, frequens populus Missas in nauibus audit.
Thesauri primus vim magnam Papa mouendum
Ad bellum tribuit, metuens ne assueta tyrannis
Illius, ex technis extincta iaceret apertis.
Filiolosque suos Romana ecclesia sanctos
Nominat, allectos promissis insuper, hamo
Piscis vt attrahitur, donat tot, munere cæli
Sedis & æthereæ, quot vitam fundere bello
Contigerit, causamq; eius pugnando tueri.
Principibus belli regnum Diuæque coronam

Angli-

Angligenæ magnis irritamenta tropheis
Dat dono, tanquam rex regum maximus esset,
Romana dominans Christi aduersarius arce.
Quos etiam segnes capitis discrimen adire
Non inuitarent nolentes prœmia tanta?
Heú heû heû nescit regnandi iura libido. »
Et ratio acris abest, vbi mentibus imperat ira. »
»
Fama cito lapsu veris mendacia miscens
Anglorum in patria replet rumoribus aures
Cunctorum, Hispanos omnes accingier armis
Conscensis ratibus ventum expectare secundum,
Et sociam turbam, quæ se his adiunxerit vltrò
Non paruam, quod multa Anglis minitentur amara.
Hæc dum diuersa terris in parte geruntur
Externis, audax dum spes Hispanus opimas
Deuorat Hesperio lucrandi ditia regna
Oceano, cunctis ad bella futura paratis,
Vndiuomum in pelagus deducitur Anglica classis,
Nymbiferi medium Capricorni sole secante.
Non etenim frigus, nec hyems, non territat Auster
Horrisonus, natos durum perferre laborem
Brutigenas, non nix tellurem albedine stringens.
Nauigat Anglorum classis pulcherrima visu
Egregia, fabrica toto sit qualis in orbe
Non melior, nec vi laterum præstantior vlla.
Ante alias omnes compagibus altior aptis

Nauarchis

Nauarchis medio velis turgentibus ibat
Anglica classis. *Gurgite, bombardas gestans ex ordine curuâ*
A prora, magnas bis centum fusilis æris
Ad puppim, speciosa ratis rutilantibus armis.
Et quoties viuo plena omnia sulphure massas
Tormenta æratas aluo euomuere cauata,
Carolus Houardus Thalassiarcha. *Aura repercussa est & inhorruit vnda fragore.*
Carolus Houardus præstanti corpore pulcher,
Alta inter dumos qualis supra eminet ornus,
Inuictus cui animus, mens arboris æmula palmæ
Hac summus pelagi prefectus principe classis
Totius puppe inuehitur, vir stemmate claro,
Antiquaque ducum magnorum stirpe creatus.
Ductori huic, genus ante potens Maubraius heros
Maximus Anglorum Richardi ætate secundi
Laus Caroli ab auis & patre. *Nobilitat nomen, generi decus addere pergit*
Eximium Thomas dux (ô Norpholcia) vester,
Iste patri frater, tibi patruus extitit heros.
Cuius virtutem, cor magnum & fortia facta
Rege sub Henrico octauo terraque marique
Postera suspiciens multum mirabitur ætas,
Si velit annales nostri peruoluere mundi.
Quo pacto clarus crebro certamine victor
Vt leo sæuus oues, pugnando contudit hostes.
His pater accedit: quem consuluisse duabus
Reginis, summaq; fide gens Anglica vidit

Inseruisse

Inſeruiſſe ſuæ patriæ: en a corpore cuſtos
Eliſabetha tibi fuit hic prænobilis heros.
Hoc memini & vidi, comitatus quattuor atq;
Viginti laterum modulo pollente carinis
Glandibus emiſſis paucis, ex ære rotundo
Deijcere in forulos bis centum carbaſa naues
Externis valde metuentibus arma coegit
Nobilis Houardus Maria moderante Britannos.
Carolus his Anglûm claris maioribus ortus
Ducta vxore prius Regali ſemine creta
Principis in ſacrum aſcriptus longè antè ſenatum,
Aſſignabatur Reginæ corporis acer
Cuſtos, luce, ſuam aut carpentis nocte quietem.
Officium magni ſub quouis Rege dynaſtæ
Præfectus pelagi nautas nunc ducit ouantes
Brumam, ver, veri donec ſucceſſerat æſtas.
Sex totos menſes anguſtum nauigat æquor,
Quod noſtras æſtu & Gallorum interluit oras,
Expectans pugnæ ſibi dum datur æqua poteſtas.
Quas primò ingrediens claſſem dux indole leges
Præclara ſanxit, noli mea Muſa ſilere:
Veſperi itemq; omni ſtatuebat mane precando
Numen adorandum, dominantẽ vt protegat Anglã,
Vt populi toto teſtantis corde dolorem
Tranſactæ vitæ peccata remittere clemens
Cuncta velit, teſtiſq; hinc emendatio morum

Guil. Houardus pater, erat D. Camerarius & D. Thalaſſiarcha Angliæ: quibus dignitatum titulis Carolus Houardus eius filius poſteà meritiſſimè exornatus eſt.

Plena fide emergat, pia gratia pneumatis adsit.
Ipse etiam supplex inflexo poplite ductor
Ore suas fudit preulas ex pectore toto
Illustrat quoties oriens sol lumine terras,
Sub noctem rursus meditans pius inuocat almi
Numinis auxilium, tutelæ séque suósque
Commendans sacræ, cæcis quin noctibus hymnos
Concinere assueti vigiles per transtra sedebant:
Prospectant nautæ nullis lucentibus astris:
Nox æquè atq; dies hortatur ab hoste cauere.
Insuper edicto vetuit dux fortis & audax,
Ne iurare dei sanctum quis numen inultus
Ausit, pæna grauis sontem vel mulcta coercet.
Ne rixas inter socios queat alea tetras
Iacta mouere, iubet lusum procul esse nociuum.
Tempora longa teri vult Biblia sacra legendo,
Præscripto dantur quando ocia tuta labori.
Nec venti sufflando negotia magna facessunt.
Aut transuersa ferunt pluuiales carbasa nymbi.
Mulcebat q; animos vectorum concio sacra
Prompta è thesauro Domini sermonis Jesu.
Carole clare tui comites Ducis inclyta proles
Thomas Houardus, Sheyffildus & ipse dynasta,
Officium Dominæ Reginæ vt præstet vterque
Hæc alacres ambo naualia bella sequuntur.
Nulla voluptatum, quas vita quieta ministrat,

Leges nauticæ, à D. Thalassiarcha latæ.

Syren

Syren pulchra domi potuit retinere Toparchas.
Sheyffildum cum fratre ſuo pugnæ ardor habebat,
Jlluſtres quorum proauos Lincolnia magnum
Vrbs antiqua decus multo celebrauit honore.
Cenſet auum triſti pugna pro Rege cadentem
Noruici, celebri cum primis nomine dignum
Anglia, viuit enim celebris poſt funera virtus.
Proximus a primo Franciſcus Dracus, in annis
Orbe pererrato ternis, pelagoque remenſo
Naue domum rediens ſalua, qua vectus ad Indos,
Nobilis æternæ ſemper per ſecula famæ.
Dignus & ex meritis quem commendauerit ordo
Militis aurati, gradus & maioris honoris.
Vir pietate nitens, morum candore probatus,
Relligionis amans, nullo deterritus hoſte.
Nocte dieq; Deum ſummum reuerentior orans
Cum ſocijs, vt ei atq; ſuis clementior adſit,
Audax, atq; animo præſenti inſtante periclo.
Jngenio pollens notat & vigilantior aſtra
Dux fortunatus, fauſto ſub ſydere natus
Iure apud hoc noſtrum ſeclum queat ille vocari.
Expertus rerum multarum ſtrenuus Haukins
Adfuit Houardo, quo gratior haud erat alter
Nauali in toto comitatu. Hunc nautica gnarum
Ars facit, vt melior quæ ſit ſententia rebus
In dubijs poſſit cum ſumma dicere laude,

Franciſcus Drachus eques auratus prothalaſſiarcha.

D. Io. Haukinus.

Citra doctus iter, qua torrida dissecat orbem
Zona suis ratibus nec non discurrerat vltra.
Quatuor exacti menses properantibus horis
Exierant, à quo Britannica classis in altum
Descendit pelagus, nec adhuc apparet Iberus:
Interea diuisa duas est Anglica classis
In partes, Seymere tibi minor altera cessit,
Quæ Gessoriacum, quà sese extendit ad Eurum,
Obseruet littus, vestros & Cantia fines,
Si quid fortè mali quisquam conabitur hostis.
Sommersettensis Ducis ex vxore secundus
Iris, nauium Regiarum vna. *Filius Henricus prægrandem temperat Irin*
Imperio, dans instructis ad bella carinis
Iura quater denis, quibus vndiq; per mare salsum
Flandria vestrates cursu prȩterlegit oras,
Anglia vel littus splendescens rupibus albis
Sole micante tuum: capitur quicunq; sit hostis.
Nobilis Houardus pclagi præfectus ad oras
Cornubiæ auehitur, vasto quæ proxima pars est
Oceano, pugnæq; accinctus prouocat vltro
Hispanum, propè eo progressus vt Anglica classis
Stantibus in terra spectari possit Ibera.
Nunciat hostiles ter vasta mole carinas
Cursor turrigeras ad vincula stare rudentum.
Inque mora esse virum lymphato corde peritum
Fatidicæ sortis, qui vates principis Anglæ

Prædixit

Prædixit mortem, multa & miranda, priuſquam
Prima dies Junî, rapido quæ proxima curſu eſt,
Deberet terris ſolem ſpectare cadentem.
Hęc mora prima fuit: vates in honore doloſus
Et precio eſt habitus ſummo, ſua ſomnia narrans.
Rex igitur ſine vi, ſine pugna & fortibus armis
Sponte ſibi regnum ceſſuros eſſe Britannos
Cum ſocijs ſperat: præfixo tempore menſis.
Jngrediente caput Cancri iam ſole, dieq;.
Præterita qua tu (Princeps) moritura fuiſſes,
Optatæ dulcis quando expectatio prædæ
Spe fruſtrata perit, volucrem & deluſit hiantem.
Falſidicus vates linguis proſciſſus amaris
Compede ferrata vincitur carcere clauſus.
Quid? Saganam mæſto Saul pectore conſulit æger ”
Qua vſurus bello dux eſſet ſorte futuro, ”
Nocte ſuam præeunte necem, qui Marte fugatus ”
Poſtridie facinus ſenſit ſe triſte patraſſe. ”
Sacra caput veſtrum diuini Numinis ala ”
(Eliſabetha) tegit, pia namque precatio multum ”
Jmportuna valet, ſi prodit pectore puro, ”
Communita fide; numen cæleſte fideles ”
Vnquam deſeruiſſe ſuos, non viderit vllus, ”
Humani intentat quoties mala nominis hoſtis. ”
Lauda anima ergo Deũ ſemper mea, clamitat Angla ”
Qui me à præſtigijs ita tutam pręſtitit, & qui ”

» *Faucibus eripuit, barathroque voraginis; ipsi*
» *Soli detur honos, ipsi sit gloria soli.*

At non frænauit custodia carceris arcti,
Fatidici linguam mendacia plura vomentem.
Veri vatis inops mens, instigata furore,
Assiduo culpans segnes sermone profatur
Hispanam classem bis æquora salsa secare
Tentaturam, atque id primo conamine frustrà
Facturam, medio ponti nam gurgite, fluctu
Quassatam, dum tendit iter Britannica versus
Regna, repentè minax consurgens turbo repellet
Ad Compostellæ tranquillo littora portu.
Ast iterùm vectos Hispanos per mare, fausto
Flamine ventorum victoria læta sequetur:
Anglorum partim submersis nauibus, ictu
Bombardæ hostilis, se subducendoq; partim
Turpiter elapsis Britannûm ad dedecus ingens.
Prima fidem facti firmat prædictio vatis:
Est ingressus iter tridui, super æquora vectus
Hispanus, vento fausto impellente carinas.
Cum subitò totum fusca nigredine cælum
Obduci cæpit, Boreas sufflare fragore
Grandisono, magnosque ad sydera tollere fluctus.
Ecce domum versus curuas conuertere proras
Cæperunt nautæ, vi tempestatis adacti.
Laudibus extollunt plebes Hispanica vatem,

Diuino

Diuino pectúſque illius numine plenum
Aſſeruere duces, cui mens præſaga futuri,
Sacra dei, quæ ſit, queat enarrare, voluntas.
Mens ignara hominum denſis immerſa tenebris, »
Auguribus promptas præbet mendacibus aures, »
Credens quæ Phœbi fallax cortina recludit »
Exitiumq; ſuum dubiarum interprete vocum »
Expoſitum ſerò nimiùm gens credula diſcit. »
Nunciat hoſtiles ter vaſta mole carinas
Curſor turrigeras ventum expectare ſecundum.
Conſilio antè habito cunctis ductoribus vnum
Hoc melius viſum anguſto terram inter vtramq;
Gurgite Neptuni, (fines vbi naufraga Scylla
Gallorum hàc, illàc Anglorum terminat oras
A Michaele trahens nomen mons vltima regni
Littora) cunctari, donec veniſſet Iberus.
Sol curſu æthereo percurrerat ora leonis
Mox inſeſſurus tergo illius, igneus ardor
Fecerat æſtatis grauidas flaueſcere ſpicas,
Et matura ſuo turgeſcere tempore poma,
Hiſpani Regis claſſis cum puppibus ære
Fulgenti nitidis latè ſua carbaſa pandens
Terribili aſpectu ſpecula Michaelis ab alta
Conſpicitur: celeri curſor volat impiger ala
Per vicos omnes, turrita per oppida regni
Albionis vaſtis infeſtos nauibus hoſtes

Aduectos,

Aduectos, mortem, gladios, igneſque minari.
Omnes armati peditesque equitesque gregatim
Et pueri imberbes, tardo & pede turba ſenilis
Pro aris, proq; focis, pro principe tela ferentes
Sponte ſua, & quæcunque cibaria poſtulat vſus,
Confluxere maris certatim ad littora ſalſi,
Cornubiæ aëreis à montibus ordine longo
Vſque tuas albas ad rupes (Cantia) cretæ
Præruptas, vbi ſit ſpectabilis vtraq; tellus
Magno æſtu medij pelagi verrente profundum.
Ter centum mille hîc paßus ſtant millia multa,
Millia multa hominum, ſtant æratæq; phalanges,
Quæque ſuos habuere duces, habuere tribunos
Militiæ expertos & nobilitate potentes,
Deuotos morti, niſi ſint certamine primi.
Quæque ſuos vexilliferos habuere cateruæ,
Byſſina picta ducum clarorum ſigna leuantes.
Quin & fæminei ſexus ſæui hoſtis amaro
Conuenere greges odio, laribuſque relictis
Comportant animis in caſtra volentibus vltro,
Omne penu, forſanq; maritis mitibus iras
Exacuunt, ſpectante viro ne præda ſit vxor,
Hoſtis in amplexus cedens, vim paſſa, moriue
Cogatur laqueo, nebulonum aut filia virgo
Stupra pati, turpemq; notam candentis inuſtam
Ore gerat ferri: procul hoc ſit dedecus Anglis.

Ne paruis pueris, quorum est innoxia vita,
Infami teneræ signentur stygmate frontes.
Certior Houardus celeri veniente phaselo
Venisse Hispanos, Deus ô bone, quanta repentè
Lętitia exorta est? crebris clamoribus æther,
Quos sonitus tonitru similes dedit? vt solet ictus
Reddere congeminos sylua resonabilis Echo.
Nauclerus fortes resonante celeumate nautas
Excitat, euigilans ad opus: tela ocyùs omnes
Expediunt studio indefesso, ac iussa facessunt.
Nec minus assumunt animos tota vndiq; classe
Illustres ratium ductores pectore forti.
Quos in Nauarchin pulchram de more vocatos
De recta instantis pugnæ ratione docebat
Pauca priùs pelagi præfectus: deinde profatur
Talia. Vos clara prognati stirpe parentum
O socij, siqua est res ardua plena laboris,
Non sine præsenti capitis vitæq; periclo
Conficitur; facinus sequitur memorabile semper
Gloria; post mortem virtus æterna virescit.
Res agitur nostri regni, nunc vita salusq;
Nunc & honos agitur ter magnæ principis Anglæ.
Nunc decus Houardi & vestrum. Succurrat habere
Nos agros fundosq; domi, viuaria, gazas,
Nomen honorificum, acceptas à patribus arces,
Et cum coniugibus thalami pia pignora sacri

Flemingus nuncius primus.

Caroli Houardi Thalassiarchæ Oratio.

" *Omnia ſunt noſtris hæc defendenda lacertis.*
" *An ſubterfugiam duros perferre labores?*
"
" *Anne meis venis calidi vel ſanguinis vna*
" *Gutta relinquetur, potiùs quam mollior vnguis*
" *Eliſabetha tibi doleat, clariſſima Princeps?*
" *Antè (opto) emoriar, Tethys atq; mihi ima dehiſcat,*
" *Fluctibus in mediis viuum abſorbere parata,*
"
" *Quàm patriam, natale ſolum, regniq; magiſtram*
" *Damna pati videam, connexas iure iugali*
"
" *Aut caſtas dominas me viuo atrocis in hoſtis*
" *Deueniſſe manus; proh dedecus & dolor ingens.*
"
" *Aut hodie fiam æquoreis ego piſcibus eſca,*
"
" *Aut referam clarum contuſo abs hoſte trophæum:*
" *Captiuo pretium pro Houardi corpore nemo*
" *Perſoluet, ductorq; ferar victrice carina,*
" *Aut hanc conſpicient fundo conſidere ponti*
" *Cum vectis, cæli nec luce frui amplius huius.*
" *Vah ſocij inuictos animos aſſumite, ferro,*
" *Aeratis globulis, telis, haſtilibus, igne,*
" *Lata recludenda eſt nobis via, cæpta ſecundans*
" *Eſt Deus, inq; animis Deus eſt (confidite) noſtris.*
"
" *Omnes qui veræ ſunt relligionis amantes*
" *Nunquam deſtituit firmo ſolamine Chriſtus.*
"
" *Papa minax Domini Chriſti aduerſarius hoſtem*
" *Infert ſe nobis, pro nobis pugnat Jeſus.*
" *Noſtri idola colunt inimici argentea, ſigna*

Ex auro, lapide exciſo, fabricataq; ligno: ”
Angla Deum verum, nos & veneramur eundem. ”
At ſi glande cadam percuſſus (quod Deus omen ”
Auertat) nolite animos demittere veſtros. ”
Sors belli mihi communis cum milite nauis. ”
Collapſum taciti mihi vos ſeponite corpus. ”
Dracus & Hobbæus vice noſtra cũcta gubernent, ”
Vrgete ote meæ patriæ tanto acriùs hoſtes. ”
Dixerat, ingeminant plauſus nautæq; duceſque,
Præſentemq; optant omnes certaminis horam,
Quiſq; ſuam promittit opem, verſatur imago
Ob cuiuſque oculos dominam pietatis in Anglam,
In patriam, charos in amicos, inque parentes.
Et quamuis centum & triginta, claſſis Ibera
Exuperet numerum, minor Anglica dimidioq;
Eſſet inæqualis, tamen en ſtatione relicta
Ocyùs Angligenæ, remis veliſq; feruntur
E portu in pelagus, præmiſſis ad freta paucis
Salſa cataſcopijs: tumidis Hiſpanus in vndis
Claſſe ſua vehitur, populo iniciente timorem
Qui non vidiſſet turritis puppibus altas
Prægrandeſq; rates Daciæ, Venetûmq; carinas.
At Regina Deum precibus rogitare diurnis
Nocturniſq; alto ſupplex de corde recondens Reginæ precatiuncula.
Se interiore domo, ſub mentis acumine fixo
Incipit: O miſerere mei, miſerere meorum,

Psalm. 51. „ *Et quæ magna ſcatens tua ſit miſeratio fonte*
„ *Multiplici, noxas ſpero delebis iniquas,*
„ *Brutigenûmque, meaſque, Deus, per nomen Jëſu,*
Psalm. 18. „ *Alme parens, roburq; meum te ſemper amabo:*
„ *Es cæli Dominus, mea magna potentia, rupes*
„ *Inconcuſſa, meum me ſeruans præſidiumque,*
„ *Es Deus æternus, turris, fortiſq; columna,*
„ *Tutela & vitæ protectio certa piorum:*
„ *O mea (quæſo) tuas in laudes labra reſoluas,*
„ *Laude etenim Domine es ſolus digniſſimus omni:*
„ *Tam in re difficili ſed quid mea lingua valebit?*
„ *Oceanum, terras, replet tua gloria cœlos.*
„ *Mortiferis cæcæ quoties circundata fraudis*
„ *Caſſibus effugi, cæleſtis tegmine ſcuti*
„ *Protecta, inſidi telum lethale Sinonis?*
„ *O quoties ſaluam me inſtanti à morte reduxti?*
„ *Mi Deus, externis nunc impetor vndiq; telis:*
„ *Ereptura mihi vitam, ereptura coronam*
„ *Regni, quam dederas, noſtrates venit ad oras*
„ *Valdè inimica cohors, ad ciues enſe necandos:*
„ *Pacis amans, pacem colui, paciq; ſtudebam.*
„ *Nulla mea ob merita infeſto conturbor ab hoſte:*
„ *Bella ſequi cogor nolens, armare phalanges*
„ *Inſtructas, inuita etiam propellere vim vi.*
„ *Cur es ſollicito mens anxia pectore noſtro?*
„ *Spes affixa Deo mea ſit, poſitoque timore*

Dedo

Dedo Deo totam me, (ſpero) tuebitur ille. ,,
Curribus hi certant, & equis bellantibus illi, ,,
Voce mea Dominum ſupplexq; humiliſq; vocabo, ,,
Fortia de ſummis vt det mihi brachia cœlis: ,,
Sic ego deuictis inimicis tuta manebo: ,,
Sic laudes ſine fine tuas ego Chriſte ſonabo. ,,

Orat idem cunctis deflens tota Anglia vicis
Crimina cum lachrymis, vitæ pertæſa prioris.
Ante alias precibus iungit ieiunia crebris
Vrbs Londinenſis; populi ſacra templa frequentes
Aurora ingreſſi perſtant pſallendo, precando,
Magna dei veteris ſecli miracula in aures
Demittendo ſuas, donec nox atra tenebras
Inducit terris, ſomnos & ſydera ſuadent.
Lux poſt bis denas Quintilis prima refulſit, 1588.
Jam inter Brutigenûm naues, & gentis Jberæ
Tantum interualli curſu ſuper æquora claſſem
Diſtabat, quantum tenſo ter miſſa ſagitta
Ire poteſt arcu, valido eiaculata lacerto.
Extemplò magnus vacuum ferit æthera clamor, Pugna naualis.
Inſonuit penitùs fundo Neptunus ab imo,
Ingeminant plauſus nautæ, certaminis ardor
Cunctorum inflammat mentes, vindictaque triſtis.
Primos eiaculata globos audacis in hoſtem
Haukini mittit Priſtis Victoria læta: Haukinus nauis Victoriæ dux.
Quippe rates paſſis velis præuerterat omnes.

Præfectus maris Houardus mandauerat antè
Vt pulchrè instructo pugnarent ordine naues,
Post alias aliæ, vt certaminis exigit vsus,
Justa inter sese serie; crescentibus horti
Arboribus sicut collucet gratia maior,
Plus fructus & inest illis, vel sicut olores
Directo niuei nant sparsim tramite tristi
Quærentes escam studio fluuialibus vndis:
Strymoniasue grues vt signat nota volantes
Littera Pythagoræ, capitum discrimine secta.
Hispani contrà cœtum glomerantur in vnum,
Nantis vt in pelago classis condensior ordo
Sit reliquis intùs ceû murus aheneus extrà.
Hinc Hispana cohors gladijs minitatur acutis,
Grandisonæ inde tubæ prorisq; & puppibus altis
Malorum & galeis martem cecinere cruentum.
Quin etiam sonitus anapesti, ex pelle cauatæ
Compactæ tabulæ affixa, quæ incluserat auras,
Pulsata lignis (vox vt ductura choræas)
Terribiles ictu tremulo emisere boatus.
Fistula militibus resonando dulce & acutum
Incendit magnos animos; iam mortis imago
Plurima luctificæ molles versatur vrinque
Ob cunctorum oculos; Anglis aut vincere certum est
Aut pugnando mori, aut cassos vita æquore mergi.
Hispanis animi nec erant bellando minores,

Gens

Gens audax, ſæuis infracto pectore bellis,
Ad quæuis vitæ ſubeunda pericula prompti,
Jmpauidi populi, męſto vacuiq; timore.
Plumbea glans, globuli ferrati, puluere & igne
Nitrato impulſi, flammæq; faceſq; volabant:
Nauibus impendens pugnantibus ingruit æther
Spiſſior, inductis ſolet vt ſub nubibus imber,
Grandinis hibernæ quæ caſu tecta domorum
Percellit crepitans & cum paſtoribus antra
Quærere cogit iners pecus, Eurus ſibilat acer
Atq; Aquilo terras furibundo turbine perflat.
Haud aliter crebris contorquent ignibus orbes
Ex ſolido ſuperas ferro incendentibus auras
Puluere ſulphureo impulſos: hinc claſſis Ibera,
Anglorum hinc pulchræ naues, cælum omne remugit
Horriſono ſtrepitu, picea caligine nubes
Voluitur ex fumo per aquas puppeſque coacta,
Ne queat infenſo crudelior hoſtis ab hoſte
Spectari, ceu cum toto ſol deficit orbe,
Aut cum iudicium rebus nox ſuſtulit atra,
Aſpectus hebetans hominum aut ſine lumine celum.
Strenuus at miles longoq; peritior vſu
Emittit rarò glandes, globuloſue ſclopiſta
Jncaßúm: non tot congeſtas meta ſagittas
Infixas celebri certamine fronte recepit,
Vna inter reliquas quot nauis glandibus icta eſt.

Confeſtim

Confestim duro ratium compagine ferro
Disrupta laterum, tanquàm patuere fenestræ
Ingentes: hàc atque illàc per vtrumq; foramen,
Interiora carinarum præbebat hiatus
Perspicienda oculis hominum: nec glande vehentes
Sola occiduntur, ligni fragmenta trucidant.
Glans tabulis ratium forti dum perforat ictu
Comminuens volucri quæcunq; obstacula cursu,
Brachia nunc miseris à toto corpore nautis
Militibusq; volans armatis crura reuellit:
Nunc caput integrum vi flatilis impetis aufert,
Nunc è tormentis oneratis puluere nitri
Contriti, admoto glans stridens igne carinæ
Prægrandes malos (velut esset acuta securis)
Dissecat, abrumpens, quibus est conscensus in altum
Ad galeas, funes: sine queis mutilata carina est.
Carolus Houardus violenti more leonis
Infremit, hostiles infestans turbine classes.
Ante alias omnes (cuius pulcherrima nauis
Fæta armis & fæta viris tractantibus arma)
Archa Regalis, Nauarchis. *(Archaea Regalis dicta est) ignita boatu*
Horrisono atq; sonis hominum obtundentibus aures
Egerit eructans, duris quæ mænia saxis
Diruere, atque æquare solo magis alta valebant
Præduro ex ferro massas, globulosq; rotundos,
Ponderis vt vix tres onus inserüisse cauato

Ori bombardæ multo molimine possent.
Dracus idem bellator agit fæliciter audax
Qui Petrum illustrem Præclaro nomine Valden, Dominus Petrus Valdes captiuus.
Et socios cum naue capit: se hic dedidit vltrò,
Causatus fractum ob malum, comitesque carinas,
A quibus hic desertus erat solusq; relictus,
Armis & pugna se non potuisse tueri.
Undecies quinos canones cum naue recepit
Ingenti victor meliore ex ære refusos,
Et vim nitrati non paruam pulueris, arma
Qualia concuperes, sæuum si tendis in hostem.
Præda secunda ratis, quæ deflagrauit ab igne
Altilibus multis, magnis onerata boardis,
Auspicijs Dominum melioribus accipit Anglum:
Jncœpti faustum primi certaminis omen.
Frobysshere tuam laudem meruisse perennem
Diceris, igniuomo dum tu veherere Triumpho, Triumphus, Nauis regia.
Hostilem audacter (via quà densissima) classem
Perrumpens mediam, nonnullis morte peremptis
Hostibus, immunis sine damno nauis ad agmen
Brutigenûm socium magno auctus honore redibas.
Tu Bystone inter primos inueniliter audax
(Quãuis vestra grauis tardabat membra senectus)
Irruis, Hispanis infligens vulnera mente
Atque animo forti, nec telo læderis vllo.
Aurati hinc hostes feriunt tormenta Leonis Auratus Leo, nauis Regia.

Confestim duro ratium compagine ferro
Disrupta laterum, tanquàm patuere fenestræ
Ingentes: hàc atque illàc per vtrumq; foramen,
Interiora carinarum præbebat hiatus
Perspicienda oculis hominum: nec glande vehentes
Sola occiduntur, ligni fragmenta trucidant.
Glans tabulis ratium forti dum perforat ictu
Comminuens volucri quæcunq; obstacula cursu,
Brachia nunc miseris à toto corpore nautis
Militibusq; volans armatis crura reuellit:
Nunc caput integrum vi flatilis impetis aufert,
Nunc è tormentis oneratis puluere nitri
Contriti, admoto glans stridens igne carinæ
Prægrandes malos (velut esset acuta securis)
Dissecat, abrumpens, quibus est conscensus in altum
Ad galeas, funes: sine queis mutilata carina est.
Carolus Houardus violenti more leonis
Infremit, hostiles infestans turbine classes.
Ante alias omnes (cuius pulcherrima nauis
Fæta armis & fæta viris tractantibus arma)
Archa Regalis, Nauarchis. *(Archaea Regalis dicta est) ignita boatu*
Horrisono atq; sonis hominum obtundentibus aures
Egerit eructans, duris quæ mænia saxis
Diruere, atque æquare solo magis alta valebant
Præduro ex ferro massas, globulosq; rotundos,
Ponderis vt vix tres onus inserüisse cauato

Ori bombardæ multo molimine possent.
Dracus idem bellator agit fæliciter audax
Qui Petrum illustrem Præclaro nomine Valden, Dominus Petrus Valdes captiuus.
Et socios cum naue capit: se hic dedidit vltrò,
Causatus fractum ob malum, comitesque carinas,
A quibus hic desertus erat soluſq; relictus,
Armis & pugna se non potuisse tueri.
Undecies quinos canones cum naue recepit
Ingenti victor meliore ex ære refusos,
Et vim nitrati non paruam pulueris, arma
Qualia concuperes, sæuum si tendis in hostem.
Præda secunda ratis, quæ deflagrauit ab igne
Altilibus multis, magnis onerata boardis,
Auspicijs Dominum melioribus accipit Anglum:
Incœpti faustum primi certaminis omen.
Frobysshere tuam laudem meruisse perennem
Diceris, igniuomo dum tu veherere Triumpho, Triumphus, Nauis regia.
Hostilem audacter (via quà densissima) classem
Perrumpens mediam, nonnullis morte peremptis
Hostibus, immunis sine damno nauis ad agmen
Brutigenûm socium magno auctus honore redibas.
Tu Bystone inter primos inueniliter audax
(Quãuis vestra grauis tardabat membra senectus)
Irruis, Hispanis infligens vulnera mente
Atque animo forti, nec telo læderis vllo.
Aurati hinc hostes feriunt tormenta Leonis Auratus Leo, nauis Regia.

Vrsus, nauis Regia.

Terribilis curuis hinc impetit vnguibus Vrsus.
Nobilis Houardus, Sheyffildus nobilis, ambo
Cum socijs ad opus multo sudore fluebant.
Franguntur tabulæ ratium, conspergitur aër
Corporis humani fragmentis, plena cruore
Omnia, nec quisquam demisso pectore pugnat:
Ira pudorq; animum victis viresque ministrat.
Nota noui portus Galli prope littora Regis,
Grandior & belli longè instructissima telis,
Ictibus Anglorum, crebroq; foramine tunsa,
Haurit aquas, & in auxiliũ, est vbi proxima terra,
Confugiens Nauis, medijs submergitur vndis.
Vtque canis reliquos pingues venaticus ante-
Vertit in aprico circundans gramine, cursu
Tardantes, fessi hi pedibus gradiuntur anheli;
Sic omni ex ora cœlorum, vbi flamina ventus
Expulit, hîc vento propior natat Anglica classis,
Spissior vt fumus tormenti inuolueret hostes,
Ac metam vt meliùs sub luce sclopista videret,
Brutigenis torquenda vbi sit fera machina pugnæ.
Iamque dies totos nocteſq; extenditur octo
Pugna ferox, cuiquam neq; mentis languit ardor.
Neutri (ea vis animi cunctis) vult cedere neuter.
Huc cum classe sua dux est prouectus vterque;
Clara vbi conspicitur vestrum Dorobornia castrũ,
(Has de consulto vitant vigilantiùs oras

Hispani

Hiſpani) iacet ac extructum mœnibus altis
Caletum, vigili pharus & gratiſſima nautæ,
Cum noctu nullis collucent ignibus aſtra,
Haud procul hinc genti naues firmabat vtriq;
Anchora iacta maris fundo; grauibuſq; rudentum
Vinclis diuiſa ſtabant ſtatione ligatæ.
Gens inimica, vadis à cæcis corde timebat
Sollicito, (quoniam tanto grauiora pericla
Surgere, nauigium findit quanto altiùs vndas,
Naucleri affirmant) grauior quòd puppis, arenæ
Si ſemel illidat, de vita & mercibus actum eſt,
Et concuſſa vadis primo diffinditur ictu.
Ne quis nocturnis eat internuncius horis
A Duce Medinenſi, ad Parmæ nomen habentem
Principis, (egregij fortis bellator honoris
Claruit, imperitans Belgis ſub Rege Philippo)
Hac in re vigilum fuit ingens cura Britannûm:
Neue diù capta pelagi ſtatione, morari
Hiſpani poſſent (mora namq; pericla trahebat.
Conſilio ergò ſua Ductorum è claſſe vocato
De rerum ſumma, ſtatuit ſua pandere vela
Nobilis Houardus, gelida formidine pulſa,
Euentumq; Deo ſoli permittere pugnæ,
Poſtridie mandans ad bellum manè parari
Cuncta: inimicorum ſed de ſtatione mouenda
Hoc opus, hîc labor eſt: onerari puluere nitri

Statio vtriuſque Claſſis, Hiſpanicæ & Anglicæ, prope Caletum.

Et pice repletis vasis & fomite flammæ
Incendendæ apto, circeros imperat heros
Stratagema nauticum. *Carolus illustris; robusto corpore nautas*
Singulæ habent naues, in se bis quinq; vehendos:
Quæque suas traxit cymbas à puppe carina,
Prælongo remis iniectis fune ligatas.
His in procinctu aptatis, post noctis opacæ
Exortas tenebras, circeri carbasa pandunt,
Et recto cursu huc torquente feruntur Iberam
In classem clauo: miscent sese ignibus Angli:
Fraus sed ficta latet quasi casu, fortuitóque
Fune vagarentur rupto, vinclisq; solutis.
Iam classi hostili crebris incursibus hærent,
Cum subitò audaces commiscent ignibus Angli
Seque suasque rates, toto micat æthere fulgor,
Non secus ac se nox æquaret luce diei.
Non Siculis quondam flammis ita canduit Ætna,
Eructans vastis ardentia tela caminis,
Vt totum rapidis flammis eluxerat æquor.
Ingens per totam classem formido repentè
Exoritur: mens vt sibi suggerit, inscia rerum,
Absque mora ratium fixarum vincula soluunt,
Lumine quærentes ignis fugiendo salutem.
Concussæ tremuere rates, tremuere profunda
Æquora, terra, fretum flammis fulsere coruscis;
Ferro vidisses alios incidere funes

Viribus enitiq; alios, vt curua leuetur
Anchora, laxatis permittere vela carinis.
Aſt alij malos cæperunt ſcandere, mentis
Conſiliyque inopes, quo ſe conuertere poſſent
Incerti: hinc vbi Belga habitat, furit æſtus arenis,
Et vada deuitare monebat naufraga puppis.
Naſſouius Princeps omnes exoſus ad vnum Auraniæ Princeps.
Hiſpanos, trux hinc telis atque enſe minatur.
Portuum & infenſi Bataui obſtruxere meatus,
Quo fugiant? rapido gliſcit diſcrimen ab igne,
Nec noctis tenebræ ſua tendere vela ſinebant.
Attonitis ſimiles ſtant ignarique locorum,
Ardua cum ſubitò fit res, hebetatur acumen »
Ingenij, prudens rarò videt optima factu. »
Extemplò nautæ redeunt, cymbiſq; vehentes
Illæſi, quo res verſatur cardine, narrant.
Regeſta expoſita, quantũ vaga flamma timorẽ
Intulit Hiſpanis, & quàm damnoſa carinis
Extiterit, largo laudatos munere donat
Inclytus Houardus, dictis & pectora mulcet.
Prima luce fretum verſus Boreale carinæ
Hiſpanûm ſua vela dabant, quas compulit auſter
Carbaſa in aduerſum leni ſpiramine tendens.
Hiſpanum inſequitur curſu velociter Anglus,
Aucto etiam ratium numero, exuperante carinas
Hoſtiles, clamorq; virûm, clangorq; tubarum

Ambobus populis auget pugnantibus iras:
Expediunt enſeſq; ſclopoſq; & miſſile ferrum:
Hi defendendo ſeſe, oppugnando fatigat
Altera pars, pugnæ ſtudio fallente laborem.
Glande boardarum multa fit ſaucia claſſis:
Coram Caleto ratis impugnata dynaſtæ
Moncadæ Iuuenis, (quo non animoſior alter)
Præduris illiſa vadis, ſpoliata peribat.
Ipſe ratis princeps confoſſus vulnere vitam
Ægrè cedentem tenues effudit in auras.
Audax Gerardus, cordati & pectoris Haruus,
Et pauci nautæ ſtrictis ſunt enſibus auſi
E lembo hanc valdè celſam conſcendere puppim,
Vltima pugna naualis. *Diripere & per vim raptas abducere prædas.*
D. Thalaſſiarcha. *Præfectus pelagi, dux auratique Leonis,*
D. T. Houardus. *Et qui præficitur niueo vir nobilis Vrſo*
D. Sheffeldus. *Et Dracus fælix ductor terraque marique,*
F. Dracus. *Qui regit imperio Jonæ nauemque dicatam,*
R. Southuellus D. Hen Semer. *Et qui mandatis præſtantem temperat Jrin,*
Sanguineas armis pugnas Victricibus ædunt.
G. Winterus. *Præſidij clarus dux Anterioris ab annis*
Olim preteritis externo cognitus hoſti
VVinterus, cuius corpus non vna cicatrix
Sed multæ decorant per ſanguinolenta receptæ
Prelia, militię ſpecimen preſtantius ædit:
Jmperat vt taciti pugnent, tacitique laborent:

Quiſque

Quiſque ſuam vt (ſi quid fieri vult) præbeat aurem
In pugna hac: flexis genibus ſed manè precatur
Ore Deum, charo mox figens grata nepoti
Oſcula; Reginæ, iubet is, deinde illius, omnes
Res peragant alacres ſocij: verba inſuper addit:
Hoc mihi proſterni (chariſſima pectora) bello »
Certũ hodie eſt, hoſtes niſi marte fugáue domentur. »
Aut nunc vincendũ eſt, aut pulchra morte cadendũ: »
Pulchra petunt fortes pulchram per vulnera mortẽ. »

Excipit hîc patruum dicentem talia fidus Io. Winteri verba.
Verba nepos fortis curuato poplite miles:
Pro me, pro ſocijs, pro nautis ſpondeo cunctis, »
Virtutis noſtri ducis inter prælia nuſquam »
Nos fore diſſimiles: pulchra vel morte cademus, »
Vel noſtros hodie vi profligabimus hoſtes. »

Dixerat: ad præſens opus accinguntur inermes,
Vt ſic currentes leuiùs per tranſtra laborent:
Quingentos & ter denos ratis illa duoſq;
Eiaculata globos ferri eſt bis quattuor horis.
Et quamuis minor eſt fabrica eius, claſſis Ibera
Mole moloſſæa; tamen haud conſcendere quiſquam,
Anglorum naues, Hiſpanus ſtrenuus auſit.

Antevidens, puppis Bakeri turgida, flammis Antevidens, nauis regia.
Egerit hinc atque hinc contortas igne catenas.
Bakerus ſocios verbis vrgentibus hortans
Præſentem ad pugnam, vindictæ incendit amorem.

Ray-

Raymunduſq; ferox agit hoc, loca proxima quærens
Hoſtibus, vt certam poſſit contingere metam.
Fortior hinc Fenerus, pugnax hinc prælia Fenton
Conſerit, hinc alij ductores ordine pugnant.
Hinc mercatorum naues mauorte fatigant
Hiſpanos, illincq; tuæ (Noua Troia) carinæ.
Euomit hinc ferri bolides Hiſpanica claſſis,
Ex pice malleolos, necis inſtrumenta cruentæ:
Brutigenæ contrà iactant ardentia tela,
Pyrobolos viuo mittentes ſulphure adactos.
Fracta quibus tabulata ruunt, conuulſaq; rimas
Diffiſſas ducunt ratium compagine rupta.
Mars furit indomitus, bombardica fulmina naues
Percutiunt, volitat ferrum, proiectilis ignis,
Sulphureæq; pilæ, nunc vndique fumeus æſtus
Vndabat, tenues atræ & caliginis vmbræ.
Noxia diſcurrunt vibratæ ſpicula flammæ,
Mortiferæq; crepant magnum per inane ſagittæ.
Miſſilium contrà vim largam ex ære globorum
Ad nullam Anglorum iacturam (mira videtur
Vera tamen res eſt) diri eiaculantur Iberi,
Nec capiunt pugnando vllum lintrémue ratémue.
Damna illata ferunt, inciſis funibus illi,
Confractis malis, diffindi vela videntes,
Rupturis multis nuſquam cohibentia ventum
Diffugiunt; quid mentis inops diſcrimine tanto

Consilij caperet? fuga tuta videtur inermi
Attonitoque viro: lux postera faustior instat:
Bis senæ naues mersæ periere sub undis,
Contusæ ferro, globulis, victricibus armis.
Nox interueniens classem disiungit vtramque,
Hæc fugit, insequitur festinans altera cursum.
Phosphorus exoritur: non Hispanos videt Anglus,
Prospiciens summis è malis vndique in altum,
Nec naues vllas hostiles cernere posset.
Tres tamen insequitur totas noctesq; diesq;
Vsque sub æthereo, dum se polus Arcticus axe
Tollit hyberboreæ frigescens ad caput vrsæ.

Naues mersæ & captæ 15. Homines 4792

Interea est acies, factusq; exercitus ingens
Tilberiæ, Princeps si Parmæ (Essexia diues)
Oppugnare velit, vestras vel Cantia terras.
Est armata phalanx lectis conscripta tribunis;
Arte noua fiunt supra vaga flamina pontes,
Alteri vt adiuncto populo robustior alter
Ad propulsandum fieret lethale periclum.

Exercitus instructissimus ex 40000. militibus: duce & primipilari, Comite Leicestrio.

Castra petens, varijs animos hortatibus addit
Militibus, nullo faciem signante timore,
Diua potens, tàm re quàm verbis altera Pallas,
Aegide concussa armatis metuenda virago.
O quibus hæc verbis aciem solatur ouantem,
Se fore præsentem promittens, si ferat vsus?
O tibi quæ (Princeps) inter Mauortia pila

Castris exhibita est genibus reuerentia flexis?
Quæ totis erant corda exultantia castris?
Lætitiæ verè quæue acclamatio testis?
Quæ fidei sacram in Reginam signa dabantur?
Elisabetha diù viuas celebrata per orbem,
Victrix in bello meritis potiare triumphis,
Armatæ clamant resonanti voce phalanges:
Illa orat tacitè sancti pia verba prophetæ:
Psal. 56.
" *Aspice me Deus, O hominum rerumq; creator,*
" *Quam premit hostilis meritam nil ira, periclis*
" *Exagitans multis, mortemq; minatur amaram:*
" *At non sollicitis animum terroribus anget*
" *Spes mea, tu solus rebus solamen in arctis,*
" *Tu mea sola salus, vitæ mea sola columna.*
" *Pollicitis innixa tuis, te freta bacillo,*
" *Quid mihi sit facturus homo, aut inimicus iniquus,*
" *In summo confisa Deo nunquam ipsa timebo.*
Armatorum hominum triginta millia duris
Loricis, nitido galeisq; micantibus ære
Londinensis alit, conscriptaque millia centum
Vltra hos hęc vna vrbs, si sæuus venerit hostis.
Hæc dum fiebant castris, confluxerat ingens
Armis turma equitum solido fulgentibus auro
Ad Londinensem, non parcens sumptibus, vrbem.
Stat sonipes viridi campo spumantia mandens
Fręna fer[illegible]: quos audito clangore tubarum

Hinnitus

Hinnitus ædens vacuas pede verberat auras?
Anglorum Satrapæ, iam confluxere dynastæ,
Omnibus una fuit mens, pugnæ grandis & ardor
Pro patria laribúsque suis, pro Principe regni.
Qui minitabatur, procul hinc se continet hostis,
Nemo inimicorum Britannica littora plantis
Audebat calcare suis, hic prælia nemo
Conserere, in bibulam ratibus nemo exit arenam.
Finibus in Scotiæ saxis horrentibus errans,
Desertis Boreęque locis Hispanica classis
Implorabat opem frustrà: negat auxiliari,
Ferre aut suppetias afflictis candidus hospes Scotorum Rex.
Rex, idem externo longè humanissimus omni.
Hæreseos sed & hunc trux insimulauerat antè
Hispanus mordace aliquis mendacior ore:
Elapsos pelagi vt præfectus vidit Iberos,
Classe redit salua Britannæ ad Principis aulam:
Omnibus ante alios Reginæ gratior hospes.
Carolus ergò redux Hispanis saluus abactis
Ad Scotiæ duris horrentia littora saxis,
Sistitur ante suæ conspectum Principis heros,
Nobilium cætu Satraparum astante corona:
Ad quem cunctanter roseo sic ore locuta est,
Cum fierent totis circùm alta silentia tectis.
Carole, laudo tuas virtutes, laudo viriles
Inuictosque tuos animos, comitumque tuorum.

" *Nostri in rebus fuerit tibi quanta marinis*
" *Sedulitas, vis quanta animi, vel quanta gerendi*
" *Rem benè cura tibi, sunt alta mente reposta hæc.*
" *Quod loquor, ex animo loquor: O attendite quæso,*
" *Non vis vlla hominum, non tu præclare Dynasta,*
" *Non comites, sociique tui, non Anglica classis;*
" *Est Deus æternus, Deus est qui solus & vnus*
" *Efficit hoc, victrix vt decantata per orbem*
" *Ore ferar populi, domi & vt secura quiescam.*
" *Illi tota rei benè gestæ gloria detur,*
" *Totus honos illi, sit ei sua gloria soli.*

Iam magno Oceano vicinum nauigat æquor
Dux Medinensis, cum sic euasit ab Anglis:
Illius comites securi nocte quiescunt.
O verè nostri rerum miracula mundi!
O Deus, in tota quanta est tua gloria terra!
Effugisse tuas nemo iactauerit vnquàm
Posse manus: frustrà sine te conabitur vllus
Inflato regni splendorem quærere fastu.
Dum cœli ventos expectauere secundos
Dúmque parant reditũ patriæ ad sua littora charæ
Naufragio perierunt Hispani 5394. Naues 17.
Hispani, nymbis & tempestatibus acti
Littore arenoso pereunt (Hibernia) vestro,
Ter quinas naues pelago absorbente, duasque.
Reginæ clementia in captiuos.
At Regina dolens hostes tot voluere casus,
Christicolis cunctis deflendos, pectus amicum,

Mentem

Mentem in captiuos & vera principe dignam
Exhibet, hos mandans tractari molliùs omnes,
Qui duras ferri factis meruere catenas.
Quàm fuerit Princeps facilis, testentur Iberi
Captiui, cum fortè domum dent vivere fata.
Elisabetha memor quibus est erepta periclis,
Quanta fuit rebus clementia numinis in se
Afflictis patriamque suam, delubra frequentans
Nobilibus regni Satrapis comitata precatur.
Qui premis omnipotẽs, reuocásq; à puluere mortis, ‹‹
Laus, honor, imperium tibi, tu bellare docebas, ‹‹
Sternis humi solus tu, me quicunque lacessit. ‹‹
Tu mihi das robur populos frœnare superbos, ‹‹
Perfidiam vlcisci, vt turbatis hostibus instem, ‹‹
Vnanimes mihi das ciues parere iubenti, ‹‹
Securamque facis nullos trepidare tumultus ‹‹
Bellorum, retrahisq; propinqua è margine lœti. ‹‹
Ergo feram latè totum tua facta per orbem ‹‹
Finitimosq; mihi populos: per secula pangam ‹‹
Nomen honorificum Domini: mea lingua, manusq; ‹‹
Corq; sonate dei fidibus super omnia laudes. ‹‹
Qui cumulas opibus seruam, plenóque fauore ‹‹
Tu Deus alme meo semper celebrabere cantu. ‹‹

FINIS.

AD SERENISSIMAM ELIZABETHAM ANGLIÆ REGINAM THEODOR. BEZA.

STrauerat innumeris Hiſpanus nauibus æquor,
Regnis iunƈturus, ſceptra Britanna ſuis.
Tanti huius rogitas? quæ motus cauſa? ſuperbos
Impulit Ambitio, vexit Auaritia.
Quàm benè, te ambitio merſit vaniſſima, ventus:
Et tumidos tumidæ, vos ſuperaſtis aquæ!
Quàm benè totius raptores orbis auaros,
Hauſit inexhauſti iuſta vorago maris!
At tu, cui venti, cui totum militat æquor,
Regina, ô mundi totius vna, decus.
Sic regnare Deo perge, ambitione remota,
Prodiga ſic opibus perge iuuare pios.
Vt te Angli longùm, longùm Anglis ipſa fruaris,
Quàm dilecta bonis, tàm metuenda malis.

IN ELIZABETHOMASTIGAS, ROMANÆ THAIDIS AMATORCVLOS, ET CACOLYCÆ illius Synagogæ asseclas, δωδεκαστιχόν imprecatorium.

RAsa cohors, mitrata phalanx, Iebusæa caterua,
Carniuoras pendens in cruce pascat aues.
Omnia tabescant tricoronis membra tyranni,
Et pereant, Stygio victima digna Ioue.
Quotquot & in Domini segetem zizania mittunt,
Ne pereant, sapiant: ni sapiant, pereant.
Elisabet, regni spes ô spes vna Britanni,
Mathusalæmæos viuat adúsque dies.
Protegat intrepidè sacrosanctæ oracula legis,
Sanguibibiq; premat colla superba Papæ.
Vinciat Angliacos concordia læta Dynastas
Cum populo: atque Italus lixa coaxet. Amen.

Thomas Newtonus,
Cestreshyrius.